
ARGUMENTVM.

Alcibiades natus in amplissima ciuitate, summo genere, omnium aetatis suae formosissimus et ingenio praeditus splendidissimo iam annum vicefinum agens se parat ad capeffendam rempublicam. Socrates, sentiens, iuuenem elatum et audacem hoc moliri, eum adgreditur monetque, consilia sua ut rata sint, fieri non posse, nisi sola Socratis auctoritate. Ridet Alcibiades hominem ac non longe eum ab insania abesse existimat. Sed mox a Socrate mira cum urbanitate ad respondendum inducitur, indeque adparet, Alcibiadi multa quidem bona fortunae, corporis et animi esse adtributa, sed destitui illum maximo, idonea scilicet iuueni ad magna nato et summa adfectanti, educatione et cognitione. Fatetur enim ipse Alcibiades, neque se ipsum vnquam in iusti vim et naturam inquisuisse, neque, quid sit, ab aliis didicisse. Quumque censeret, Athenienses, omisso iusto, de eo solo, quod utile sit, consulere, Socrates ostendit, nihil utile esse, quod non sit iustum. Vnum igitur restat Alcibiadi, quo sibi aditum ad rempublicam apertum teneri opinatur.